



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 5. An Lex ponit rem præceptam in ea virtute, ex cuius motivo etiam  
extrinseco præcipitur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

sufficit, quod possit obligare in conscientia, & sub culpa à Deo punienda; hæc enim obligatio satis per se urget impletionem præcepti, ut patet in Lege naturali.

Imò sunt, qui putant Ecclesiam punire posse pœnâ ipso factâ latâ actus merè internos v. g. hæresin merè internam, sicut punit occultam, quia ad hoc non requiriatur cognitio transgressionis.

*Q. 5. An Lex penit rem præceptam in ca  
virtute, ex cuius motivo etiam ex-  
trinseco præcipitur?*

*Resp.* Aff. Quia 1. omnis actus specificatur à fine etiam extrinseco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, ut si ineberit, est in specie furti, & ebrietatis; & furans ex hoc fine magis est intemperans, quam fur, ut docent Aristot. & S. Thom. Ergo Lex pariter specificatur à fine etiam extrinseco, sicut omnis eleætio medii specificatur à fine intento: nam Lex æquè finem extrinsecum intendit, & actionem aliquam præcipit, vel vetat tanquam medium ad illum finem. 2. Permutatio beneficiorum ex propria autoritate non est de se mala contra Religionis virtutem, sed solum quia prohibetur ab Ecclesia ex motivo Religionis, & reverentiæ erga res sacras. Item sumptio cibi; vel potûs levissimi ante Comunionem est sacrilega, ob pro-

prohibitionem Ecclesiæ factam ex motivo reverentiæ erga Eucharistiam.

Ut autem præceptum obliget subditum ex illa virtute, ex cuius motivo materia extrinseco imponitur, requiritur. 1. Ut Superior declaret, se ex illo motivo præcipere, si non sit aliunde notum: alioqui actus non præsumitur præcipi, nisi ex motivo suo intrinseco, v. g. jejunium ex motivo temperantiæ. 2. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam ejus necessariam; licet enim Ecclesia præcipiat jejunium in Vigilia Nativitatis Christi v. g. non solum ex motivo intrinseco temperantiæ, sed etiam ex motivo extrinseco Religionis, nempe ad honorem Christi; quia tamen obligationem Religionis nobis non imponit, qui isto die non jejunat, peccat solum contra temperantiam.

*Q. 6. An qui violat Legem humanam de actu virtutis alicujus, v. g. Religionis, peccat solum contra obedientiam?*

*Resp.* Peccat etiam contra virtutem illam, cuius actus præcipitur. Quia obligatur ad actum virtutis, qui præcipitur, cum præceptum humanum obliget in conscientia. Hinc qui sacrum omittit die Festo, non abstinet à carnis Feriâ sextâ, pec-